

viderit, operarios debet opportunos adii- cere, & juxta Propheticum verbum au- gere custodiam locare custodes, & cultores Idoneos in dominicam vineam desti- nare.

Causa nove faciendæ Ere- ctionis.

§. 1. Cum igitur in Terra de Monte- vi- co, quæ usque in præsentem diem fuit Asten- sis diæcesis, adeo, ut ipsa facti notorie- tas manifestat, benedictente Domino crevit po- puli multitudo, ut terra ipsa personarum numero sita, & aliis Domini benedictioni- bus ultra Civitates quamplures sit fecun- da. Accedit etiam, quod cum Ecclesia Asten- sis latam, & diffusam Diæcesim habeat in qua civitate Astensis degit populus numerosus, in tanta personarum multitudine singulorum vultus apte nequit unicus Pastor inspicere, aut alias partes boni Pastoris implere, est que onerosum, atque difficile in tam lata, & diffusa Diæcesi ad unum tantum, a tot personis Ecclesiasticis, & mundanis recur- sus haberi.

Ere-ctio Epi- scopatus Mon- tis regalis.

§. 2. Nos præmissa attenta meditatio- ne pensantes, & in hac populi videlicet multitudine operariorum utilium nume- rum augere volentes: ex quibusdam aliis etiam rationabilibus suadentibus causis, ex certa nostra scientia de Fratrum nostrorum consilio, & Apostolica plenitudine potesta- tis, ad Dei laudem, & gloriam, & exalta- tionem Ecclesiæ Sanctæ suæ, divini cultus au- gumentum, fideliumque salutem, terram prædictam cum parte ejusdem Diæcesis, quam quidem partem certis distingui limitibus fe- cimus, cum omnibus personis Ecclesiasticis, & secularibus degentibus, ac rebus existen- tibus in ejusdem terræ parte ab omni jurif- dictione, potestate, & subjectione Episcopi pro tempore Astensis, & dilectorum filio- rum Capituli Astensis, & ejusdem Astensis Ecclesiæ profus eximimus, & perpetuo li- beramus, ipsamque terram in Civitatem erigimus, & civitatis titulo, & insignis de- coramus, eamque in memoriam ipdecibilem eorum, quæ circa hæc in parte geruntur civi- tatem Montis Regalis perpetuis futuris temporibus volumus nuncupari, & insuper Collegiatam Ecclesiam Sancti Donati in hujusmodi nova Civitate sitam in Cathedralem Ecclesiam similiter erigimus, & con- stituimus de consilio, & potestate prædictis sponsum proprium, & idoneum Deo aucto- re per Apostolicæ Sedis providentiam habi- turam, cui sponsum ipse præsit pariter atque proficit.

Capituli affi- gnatio.

§. 3. statuentes, ac de ipsis consilio, & potestate decernentes, ut in hujusmodi Ecclesia de novo in Cathedrali erecta toti- dem sub ejusdem nominibus, ac in dicta Astensi Ecclesia, dignitates existant, necnon decem Canonicorum Capitulum facientium numerus, quorum aliqui, singuli videlicet singulas, ex ejusdem dignitatibus ipsius Eccle- siæ Montis Regalis obtineant perpetuis temporibus. Ceterum de consilio, & po- testate prædictis statuimus, & etiam ordi- namus, quod personæ tam Ecclesiasticæ, quam seculares in eisdem nova civitate, & parte degentes præsentis, & posteræ quem-

admodum Episcopo, & Capitulo, & Eccle- siæ Astensi præfatis, in spiritualibus, con- junctum, vel semotim teneantur obedire, & sint ordinario jure subiecti. Ad hæc omnia, & singula possessiones, & bona, ac jura, quæ in prædicta civitate Montis Regalis, & parte ad Episcopalem mensam, necnon ad præfatos Capitulum, & Ecclesiam Asten- sem usque modo conjunctum, vel divisim pertinuerunt, etiam si feudalia, & emphiteu- tica, censuaria, vel hujusmodi quæcumque, quotcumque fuerint, & in quibuscumque consistant, quæ per loca, & vocabula, confi- nes, qualitates, quantitates, & valorem ipsorum haberi volumus præsentibus pro ex- pressis, & sufficienter specificatis cum omni- bus juribus, & pertinentiis suis ab eisdem mensa, & Capitulo, & Ecclesia Astensi præ- sentium tenore subtrahimus & omnimodo separamus, illaque omnia, & singula cum dictis juribus, & pertinentiis quemadmodum ad mensam, Capitulum, & Ecclesiam Asten- sem prædictos usque nunc communiter, vel divisim pertinuerunt, ita Episcopali mensæ & dicto Capitulo, & Ecclesiæ Montis Re- galis communiter, vel divisim applicamus, & in eorum dote volumus computari. In Ecclesia quoque Montis Regalis divina præ- fata peragantur officia juxta ritum, mo- dum, & consuetudinem ibidem hæctenus usi- tatos.

Quæ in nova Civitate Epi- scopi Astensi competebant novo Episco- patri conce- duntur.

§. 4. Demum volumus, & de ipsius consilio, & potestate mandamus, quod si fructus, proventus, redditus possessionum vel bonorum ab eisdem mensa Capitulo, & Ecclesia Astensi subtraherentur, & mensæ, Capitulo Ecclesiæ Montis Regalis præfatis applicatorum per nos, ut præfertur nec- non possessionum, bonorum, quæ dicta Ecclesia in Cathedrali erecta in præ- sentiarum canonicè possidet, non tantum forsan secundum communem existimationem valerent annuatim, quod ex illis dictus Episcopus sexcentos, & singuli ex prædi- ctis decem Canonicis singulos quinquaginta Florenos auri singulis annis percipere possent, dilecti filii commune Montis Regalis Civi- tatis supradictæ de bonis eorum eisdem Epif- copo, & Canonicis, id quod ex dictis Flo- renorum summis deesset anno quolibet tan- diu supplere, donec dictum Commune alias possessiones, & bona de quibus hujusmodi suppletio sufficienter fieri possit propriis sum- ptibus justis titulis acquirant, ipsique Episcopo Montis Regalis, domos pulchras, & honestas, in loco honesto, & congruo sitas, in quibus ipse Episcopus sui que Suc- cessores Episcopi Montis Regalis, qui pro tempore fuerint cum eorum familia congrue pro dignitatis Pontificalis decencia habitare valeant, tradere ex jure proprio, & in per- petuum, & hac vice duntaxat suis expensis Episcopo Montis Regalis de novo creando de mitra, annulo, & baculo Pastoralis, cali- ce, libris cæterisque indigentis, & necessa- riis ad ornamentum Pontificalis dignitatis, & ipsius Ecclesiæ erectæ in Cathedrali re- quisitis providere. Et quia dictus Episcopus Astensis ad exercitium jurisdictionis tempo- ralis

Dos novo Episcopo & Canonicis a Communi nove Civita- tis danda.

ralis

Vicarii Dos.

ralis ad se pronunc in hujusmodi nova civi- tatis pertinentis consueverat deputare unum Vicarium, cui ratione hujusmodi Vicariatus officii trecentos, & quinquaginta Florenos auri annuatim solvere tenebatur, Vicario, quem ipse Episcopus Montis Regalis de novo creandus, & sui in perpetuum Successores ad exercitium jurisdictionis hujusmodi depu- taverint, similiter 350. florenos auri singulis annis de propriis ipsorum communis bonis persolvere, prout etiam præfati Commune vo- luerunt, & ad id per eorum Ambasciatorem, & Syndacum se sponte obtulerunt, & effica- citer obligaverunt omnimode teneantur, ipse- que Episcopus, & Ecclesia Montis Regalis, ac Successores hujusmodi solutione salarii dicti Vicarii in perpetuum sint penitus liberati, & quod omnia privilegia, jura, & bona dictæ Ecclesiæ Sancti Donati qualitercumque conce- ssa, & in quorum possessione pacifica in præsentiarum canonicè existit, eidem per- maneant illibata: non obstante quod dicta Ecclesia in Cathedrali ut præmittitur sit erecta.

Conventio que dam con- firmata.

§. 5. Deinde vero auctoritate Aposto- lica approbantes, & ratificantes omnia, & singula gesta, firmata, & concessa ordinata, & conventa conjunctim, vel divisim inter dilectos fratres nostros Nicolaum tituli San- cti Ciriaci, & Petri Sanctæ Anastasiæ Præ- byteros, & Franciscum Sancti Eustachii Dia- conum Cardinales ex commissione eisdem per nos factæ vivæ vocis oraculo nomine Ro- manæ Ecclesiæ ex una parte, & Syndacum Communis Montis Regalis ex altera parte non obstantibus aliquibus expressis in contra- rium facientibus, quæ huic confirmatio in ni- hil habeant in aliquo derogare, volentes præ- dicta gesta ordinata, firmata concessa per- petuis temporibus duratura, & efficaciter observari, ac si præfati forent privilegio de- clarata patentibus de præmissis publicis do- cumentis.

Metropolitani Mediolanensis Ecclesiæ jus supra novam Ecclesiam.

§. 6. Volumus insuper, quod Episcopus qui pro tempore fuerit Ecclesiæ, & Capitulum Montis Regalis prædictum, prout quemadmo- dum præfati Episcopus, & Capitulum, & Ecclesia Astensis sub sunt Archiepiscopo pro tempore existenti, & Ecclesiæ Mediolanensi, Metropolitanano jure sub sint.

Clausula.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre exemptionis, li- berationis, erectionis, decorationis, statu- ti, consuetudinis, ordinationis, subtractio- nis, separationis, applicationis, mandati, voluntatis, infringere &c.

Dat. die 8. Junii 1388. An. XI.

Datum Perusii sexto Idus Junii Ponti- ficatus nostri anno Undecimo.



Post Urbani VI. obitum Cardinales, qui illi adhæ- serant, Conclave ingressi, die 2. Novembris anni 1389. in Romanum Pontificem elegerunt Petrum Tornacellum Neapolitanum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Tituli S. Anastasiæ, qui septimum post diem consecratus Bonifacius voluit appellari: Sedit in Pontificatu Annos XIV. Menses XI. uno minus die: imperantibus in Oriente Emanuele; in Occidente Venceslao, mox Ruper- to Bavaro Imperatoribus. O- biit die 1. Octobris 1404. & sepultus est ad S. Petrum. Va- cavit post ejus obitum Sedes dies XVI.

Mortuo Avenione, ut fu- perius vidimus, Clemente VII. qui contra Urbanum VI. fue- rat electus, Cardinales qui se- quuti cum fuerant, die 28. Se- ptembris anno 1394. elegerunt

in Pseudo-Papam Petrum de Luna Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Cosmedin, qui Benedicti XIII. nomen sumpsit. Matre adeptam, raptamque potius dignitatem ægre quidem dimisit in Concilio Constantiensi. Obiit vero mense Septembris anno 1424.

I.

Institutio Festivitate Visitationis B. Mariæ Virginis pro die 2. Julii, cum adhortatione ad jejunium Vigiliæ; Indulgentiisque pro interessentibus officiis dictæ Festivitate, ex constitutione Urbani VI.

Bonifacius Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Inca rationis mysterium.

Virginis Mariæ elegium.

Superni benignitas Conditoris, humanam creaturam ad similitudinem suam creatam misericordii pietate respiciens etiam collapsam fore primi parentis lapsu considerans, illam miro decrevit consilio relevandam, ut scilicet Verbum supernum, quod erat in principio, eam a mortis nexibus liberaret. Igitur pii Patris, qua nos dilexit, caritas temporis veniente plenitudine Verbum ipsum æternum sub forma servi, carnem nostræ mortalitatis assumere, ut eandem mortem nostram moriendo destrueret, ac damnationis sententiam simul & maculam, quam per reatum primi hominis generis humani posteritas incurrisse noscebatur, clemens Verbi æterni bonitas aboleret. Quapropter de clara stirpe regia Davidica prælegit Virginem, in cujus utero mystico spiramine Verbum ipsum carnem susciperet, ut egrederetur juxta verbum propheticum, Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascenderet, & requiesceret spiritus Domini super eum, perfectam Reginam, inclytam matrem eligens, quæ tanto Regi digna fuit sui corporis thalamum preparare, de quo tamquam sponsus præ filiis hominum procederet speciosus, locum in Nazareth, quæ flos sive sanctitatis dicitur, ad suam conceptionem elegit, in quo per Angelicæ salutationis eloquia ipsius incarnati Verbi mysteria, mira que fuerunt solemnia celebrata. Ibi enim summissus nostræ redemptionis exordia, ibique primum dies sanctificationis illuxit, qui nobis de salute spem intulit, & de æternitate lætitiæ. In hoc etenim tantæ fecunditatis loco Virgo regia venustissima a Domino conservata, flos sanctitatis, vas cælestis gratiæ mundissimum, omnium virtutum floribus redimita, cujus pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, Redemptorem gentium Virgo concepit datura, lucem gentibus sub mortis caligine constitutis.

§. 1. Sane ipsa Regina Cælorum, in cuius se claudit viscera Dei Filius factus homo, ex tanti honoris fastigio sibi per Angelum

nunciato, nequaquam elationis assumpsit spiritum, sed tamquam Ancilla humilis quamvis mater effecta Domini, humilitatis suæ, quam respexit Dominus, exequens officium, exurgens abiit in montana ad Elisabeth cognatam suam, quæ vocabatur sterili jam semestri prægnantem, cum festinatione: & quemadmodum ab Angelo humillime salutationis susceperat oraculum, sic etiam ipsa Elisabeth humiliter salutavit: Elisabeth vero ut salutationem audivit Virginis gloriose, repleta Spiritu Sancto, & incarnati Verbi mysterium in utero sentiens virginali, voce magna exclamavit, & dixit, Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit præ gaudio infans in utero meo: & beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino.

Fjus humilitas in visitatione Elisabeth.

Sequitur Mariæ encomia.

§. 2. Ad quam Virgo veneranda in humilitatis spiritu respondens, illud mirabile Canticum decantavit. Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius. O magnum mysterium, o admirabile commercium, o ineffabile sacramentum, ut matres de pignoribus, quæ gestabant in utero, in spiritu præferrent, & etiam prophetarent, & ut sacri Evangelii pandit historia, Cæli Regina gravida partu conferenda divino pro humilitatis amplioris signaculo præcursoris sui, quem gestabat Filii, Genitricis gravidæ humanitatis impendit obsequium: quo impenso completoque hujusmodi Visitationis quasi trium mensium tempore, in domum suam est reversa. Hæc est enim illa, de qua sacra canunt elogia, Sole amicta, Lunam habens sub pedibus, Stellis coronari meruit duodenis. Hæc est enim illa, quæ in suis castis visceribus Cæli terræ gestavit opificem, & sola cunctas hereses interemit, & pro Christiano populo ut advocata strenua & exoratrix pervigil ad Regem, quem genuit intercedit.

Festum Visitationis ab Urbano institutum.

§. 3. Igitur felicis recordationis Urbanus Papa Sextus prædecessor noster dignum reputans & debitum, ut festum Visitationis ipsius B. Mariæ Virginis, quando, ut præfertur, visitavit Elisabeth, in Dei Ecclesia celebraretur, pro testimonio sancti suffultum Evangelii humanis nequit rationibus detractari: ac attendens, quod laudes tantæ Virginis humana lingua non sufficit exprimere, nec etiam sancti & justæ eam, in cuius ille, quem Cæli capere non poterant, se contulit aula virginali, dignis laudum præconiis ad plenum efferre poterunt: & considerans quod ex quo Dominum in Sanctis suis laudare jubemur, quanto magis in veneratione B. Mariæ Virginis matris ipsius exultantibus animis colaudare, & ejus laudum augendo titulos gratias referre, quem genuit, Filio debeamus, quæ etiam exaltata super sidera stellato confedit sui folio genitoris, nec etiam divinæ

vivis

visus fuisset resistere voluntati, quæ tam sibi, quam aliis viris devotis ad hujusmodi sanctam festivitatem celebrandam, ut pie idem prædecessor credidit, dignata fuit mentem inspirare, deliberatione etiam super hoc maturatione præhabita de Fratrum suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, de quo numero tunc eramus, consilio, ad exaltationem fidei Catholice digne & rationabiliter videlicet sexto Idus Aprilis, Pontificatus sui Anno undecimo statuit, ut festum præfatum videlicet Visitationis B. Mariæ Virginis, quando ut præfertur, visitavit Elisabeth sexto Nonas Julii annis singulis in Dei Ecclesia cum laudum canticis, lætitiæ jubilo, cordisque tripudio, sub duplici officio per Orbem universum solemniter celebraretur. Suavit etiam & consuluit idem prædecessor, ut ipsius festi Vigilia, ut Vigilia Nativitatis & Assumptionis prædictæ Virginis festivitatem etiam in observatione jejunii devotius observaretur. Et mandavit quod simile, non tamen duplex officium absque alicujus Sancti commemoratione, exceptis primis Vesperis ante octavam Apostolorum Petri, & Pauli, & officio totius diei octavæ, cum commemoratione tamen ejusdem novi festi, per septem sequentes dies in Dei Ecclesia cum celebrata debita decantetur.

Cum duplici officio, jejunii, & Octava.

Officium, & Missæ hujusmodi præfatis indulgentiis concessit.

His fraternitatis ad hujusmodi festi publicationem, & observationem, Episcopos cælestique adhortatur.

§. 4. Ac etiam volens idem prædecessor CHRISTI fideles ad colendum tantæ festum Virginis & etiam celebrandum donis spiritualibus animare, ipsosque mysticis de thesauris militantis Ecclesiæ, benedictionum muneribus cupiens prævenire: & omnibus vere poenitentibus & confessis, qui matutinali officio festi ejusdem in Ecclesia, qua idem officium celebraretur interessent, centum: qui vero Missæ totidem: qui autem primis festi Vesperis, similiter centum: qui autem secundis, totidem: illis vero qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, ac Completorii officii, pro qualibet horarum ipsarum quadraginta dies, illis autem, qui per octavam festi prædicti Matutinalibus, Vesperarum, Missæ, ac prædictarum Horarum officii interessent, centum dies singulis octavarum ipsarum diebus de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confusus, de injunctis sibi poenitentis misericorditer relaxavit.

§. 5. Ne autem pro eo quod ipsius prædecessoris superveniente obitu literæ Apostolicæ super præmissis confectæ minime extiterunt, hujusmodi constitutio dicti prædecessoris frustraretur effectu: Volentes & auctoritate Apostolica decernentes, quod hujusmodi constitutio a dicta die videlicet sexto Idus Aprilis perinde fortitatur effectu, ac si super ea prædecessoris literæ sub ipsius diei data, confectæ fuissent, prout superius enarratur: quodque præfatas literæ ad probandum plene constitutionem hujusmodi ubique sufficere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur: universos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & alios Ecclesiarum Prælatos monemus & hortamur in Domino, per Apostolica eis scripta in virtute Bullæ, Rom. Tom. III. Pars II.

sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandantes, & in remissionem peccaminum injungentes, quatenus tam gloriosum festum & celebre annis singulis sexto Nonas Julii, ut præfertur, devote ac solemniter celebrent, ac jejunium Vigiliæ hujusmodi suadeant in augmentum meriti observari, & faciant per universas Ecclesias suarum Civitatum & Diocesium celebrari, ac officium peragi prædictum: ut pia ejusdem Virginis MARIÆ intercessione ipsi CHRISTI fideles, & hic a noxiis protegi, & in futuro sempiterna gaudia consequi mereantur.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hæc nostræ voluntatis, constitutionis, monitionis, hortationis, & mandati paginam infringere &c.

Clausula.

Datum Romæ apud S. Petrum, quinto Idus Novembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

Dat. die 9. Novembris 1389. An. I.

I I.

Camere Apostolicæ bona detinentes, seu alias quomodolibet occupantes, scientes quoque, & non revelantes Excommunicationis, aliisque penis plectuntur.

Ex Regest. in Archiv. Vatic.

Bonifacius Episcopus Servus, Servorum Dei. Ad iuram rei memoriam.

§. 1. Cæca Cupiditas, inextinguibilis ardor, & sitis insatiabilis quorundam in tantum crevit habendi, ut experientia teste non viis, & artibus honestis, atque permissis ad rem familiarem tutandam & augendam infudent; verum etiam viis ipsis, ut plurimum derelictis, & abstinere a vitis nescientes, ac furto, fraudi, dolo malo, rapinis, occultationi, aliisque modis reprobis inhiantes ad bona Ecclesiastica ad Cameram Apostolicam, & ad Nos vel de directo, vel ex reservatione aliqua ad nostram, & ejus dispositionem pertinentia, quæ pro conservatione, & augmento fidei Catholice, ac universalis rei publicæ, & alimonia pauperum, aliisque piis usibus deputata sunt, avidas manus extendant: illaque rapiant, capiant, occupent, & usurpent, ea restituere dictæ Cameræ non curantes. Quidam vero alii præmissorum non ignari, vel pusillanimitate, aut negligentia quadam ea gentibus dictæ Cameræ, per quas ad Nos proveniant, non revelant in animarum suarum grave periculum, & ejusdem Cameræ non modicum detrimentum.

Humanam cupiditatem fraudibus ferre semper innoxiam dolent.

§. 2. Expediit ergo, ut quos Dei timor, ac virtutis amor, & propriæ conscientie stimulus non commovet, subsecuta pena urgeat, & Ecclesiastica Censura percellat, ad videlicet occupata restituendum, & revelandum Detentores illicitos, ac de cetero a similibus abstinendum, & vel sic animarum salutem, & Cameræ ipsius commodis eodem contextu pariformiter consulatur. Quamobrem in hiis salubriter, & sollicitè providere volentes omnes, & singulos cujuscumque status, gradus, ordinis, prægeminæ, vel conditionis existant, etiam si Pontificali, aut Regali, seu quavis alia Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, B b 2 etiam

etiam si fuerint Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, auctoritate Apostolica tenore praesentium peremptorie requirimus, & monemus, eis nihilominus in virtute sanctae obedientiae, & sub infra scriptis penis districtae praecipiendo mandantes, quatenus infra unius mensis spatium a die afflictionis praesentium in valvis Basilicae Principis Apostolorum Urbis faciendae proxime computandum, quem terminum ipsis, & eorum cuilibet pro omnibus dilationibus peremptoriis, & monitione canonica assignamus, ea, quae de bonis mobilibus, & stabilibus ad nos, & ipsam Cameram pertinentibus etiam de illis, quae felicitis recordationis Gregorii Undecimi, & Urbani Sexti Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, vel alterius eorum fuerunt, vel spectaverunt quomodolibet ad eos aut alterum eorumdem, & quorum omnimoda dispositio, maxime cum dictus Urbanus praedecessor Deo permittente decesserit, est Nobis, & eidem Camerae reservata, occupant, aut sciunt occupari, Nobis, vel gentibus ipsius Camerae, per quas ad nos perveniant, cum effectu restituant, & reveleant.

si bona occupata eidem restitui jubet.

Adiuta dupli.

Excommunicacionis.

Et Privacionis tum Beneficiorum, tum bonorum penitus.

Penas eadem ad non-revelantes, vel imposturam eadem bona occupantes extendit.

ut supra scribitur, absolvantur. §. 5. Praesentes quoque literas eisdem, valvis mandamus affigi, ut quasi quondam sonoro praenotio, & patulo indicio ad cunctorum notitiam valeant pervenire, nec aliquis de illis ignorantiam praetendere possit quovis modo, cum non sit verisimile apud aliquos remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum requisitionis, monitionis, assignationis, inhibitionis, & mandati infringere &c.

Datum Romae apud Sanctum Petrum. Quarto decimo Kalendas Octobris Pontificatus nostri anno Primo.

II I.

Damnationis Ordinationum in Parlamento Angliae editarum super provisione Ecclesiarum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum eiusdem Regni.

Bonifacius Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam.

Ab eo, qui pro Redemptione generis humani de intacta Virgine carnem assumere, & nasci, ac tandem pati, & mori dignatus est, super Reges, & Regna nullis nostris praecedentibus meritis, sed sola sua permissione in eminenti militantis Ecclesiae specula constituti inter gravia nostris humeris incumbenda onera, non in ultimis habemus ad omnes oves curae nostrae divina dispositione commissas, & in quibus depascuntur, regiones, & loca nostrae fixe considerationis intuitum extendere, & illis pabula salubria procurare; malefana vero, & contagiosa, ne se illis inficiant, declinare, & si forsitan alicuius huiusmodi ovibus ad insalubres, & pestiferas herbas, vel saltus periculosos diverterint, eas, ne tabescant, aut ruant, sed in hiis, ut dumtaxat, quae illis vitam, & salutem conservare, & ictus multiplicare valeant, pascuis diverferint, provida, & solerti diligentia coercere, ut vel sic a noxiis, & adversis praeserventur, & cum multiplicato fructu Domini nutriantur in caulis, nec lupi rapaces, neque venenosa contagia illis obfint, nec etiam parum sanguinis nostris de manibus requiratur.

§. 1. Sane sicut cumlata relatio quamplurimum fide dignorum ad nostrum non absque gravi molestia perduxit auditum, nonnullis seditiosis viris reproba, & inordinata ambitione concitatis, & non quae Dei, sed quae sua sunt, quarentibus, cum eorum excogitatis, & perastutis abusionibus carissimo in Christo Filio nostro Richardo Regi Angliae illustri in eius Regio Parlamento pridam celebrato dolose suggerentibus, quod clare memoriae Edwardus Rex Angliae dicti Richardi Regis Avus ad instar clare memoriae Edwardus Rex Angliae dicti Richardi Regis Avus ad instar clare memoriae alterius Edwardi Regis Angliae Avi sui in quodam suo Regio Parlamento apud west-Monasterium Londonien. certo tunc expresso tempore celebrato de assensu Magnatum Communitatum Regni sui ordina-

Publicati praesentes Literas mandat.

Dat. die 18. Septembris. 1390. Au. I.

Ex eodem Reges.

Qualis de singulis Christianis cura Pontifici Rom. inesse debet.

Politicorum ad jus ecclesiasticum laesum laesum fraudes.

verat, ut illorum verbis utamur, & stabiliverat, quod liberae electiones Archiepiscopatum, & omnium aliarum dignitatum, & Beneficiorum in Anglia tenerent, & a modo in modo, sicut fuerant concessa per Progenitores eiusdem Edwardi Regis, & per Antecessores aliorum fundatorum, & quod omnes Praelati, & aliae gentes Ecclesiasticae Anglicanae, qui haberent Patronatus de quocumque Beneficio de dono Regis, Progenitorum, vel aliorum Patronorum, sive Donatorum huiusmodi ad faciendum divinum servitium & alia onera inde ordinata haberent eorum collationes, & praesentationes libere, & per modum sicut fuerant servatae per suos donatores, & in casu quo de aliquo Archiepiscopatu, Episcopatu, Dignitate, vel alio quocumque Beneficio reservatio, collatio, vel provisio facta foret per Curiam Romanam in impedimentum electionum, collationum, seu praesentationum superius expressarum; quod tunc eodem tempore vacationum, quo tales reservationes, collationes & provisiones deberent capere effectum, de eiusdem vacationibus Rex Angliae, qui tunc esset, haberet, & gauderet pro illa vice collationes ad Archiepiscopatum, Episcopatum, & alias dignitates electivas, quae essent de suo Patronatu, taliter, sicut progenitores dicti Edwardi Regis ordinantis sub certa forma, & conditione, videlicet ad petendum licentiam Regis de eligendo & post electionem factam de habendo assensum regium, & nullo alio modo: etsi de aliqua domo Religiosorum de Fundatione, seu Patronatu Regis facta foret talis reservatio, collatio, vel provisio in impedimentum liberae electionis, haberet dictus Rex, qui tunc esset, illa vice collationem ad donandum ipsam dignitatem alicui personae idoneae; & in casu quo collatio reservatio, vel provisio facta foret in Romana Curia de aliqua Ecclesiastica praebenda, vel alio Beneficio, quae foret de patronatu gentium dictae Ecclesiae Anglicanae; Unde Rex superius esset fundator immediatus; tunc eodem tempore vacationis, ad quod tempus reservatio collatio, seu provisio deberent, ut praemittitur, capere effectum, dictus Rex, qui tunc esset, haberet collationem, & praesentationem pro illa vice, & sic de tempore in tempus ad omnes vices, quibus tales gentes dictae Ecclesiae Anglicanae forent impeditae de ipsarum praesentationibus, & collationibus per tales reservationes, collationes, seu provisiones, prout superius est descriptum. Salvo tamen Jure Patronatus, & praesentationis, quando nullae collationes, seu provisiones de Romana Curia inde factae forent, vel quando dictae gentes Ecclesiae Anglicanae haberent, & vellent ad eadem beneficia praesentare, vel collationem facere, & praesentati sui possent effectum collationum, & praesentationum suarum gaudere, & eodem modo haberent quilibet alter cujuscumque conditionis facere praesentationes, vel collationes ad domus Religiosorum, quae forent de suo patronatu, & ad beneficia Ecclesiastica pertinentia ad easdem domos. Etsi ta-

Nefaria edita.

Sacerdotiorum confessorum jus tenere occupatum.

les patroni non praesentarent ad talia Beneficia infra dimidium annum, Episcopus loci conferret per lapsum temporis infra unum mensem post dictum dimidium annum, tunc dictus Rex talium Beneficiorum haberet praesentationes, & collationes, sicut habet de aliis de patronatu, seu fundatione propria, & in casu, quo praesentati aliorum Patronorum, vel de eorum Fundatoribus, vel illi, quibus Rex, vel Patroni, seu Fundatores huiusmodi donassent beneficia pertinentia ad eorum praesentationes, seu collationes, essent impediti per tales provisores, ita quod non possent habere possessiones de talibus beneficiis virtute praesentationum, seu collationum sic eis factarum, vel illi, qui essent in possessione talium beneficiorum forent impediti super huiusmodi suis possessionibus per tales provisores, tunc essent huiusmodi Provisores, & eorum Procuratores, et exequutores, & Notarii attachiati per eorum corpora & positi ad responsonem suam, & si forent convicti, manerent in persona absque deliberatione ad manucaptionem in valuna, nec essent deliberati, antequam facerent suam redemptionem dicto Regi ad voluntatem suam necnon satisfactionem Partis, quae se sentiret gravatam: & nihilominus antequam essent deliberati, facerent plenam renunciationem, & invenirent sufficientem securitatem, quod non attentarent talia tempore futuro, nec alioquin Processum pro se quererent per illos nec per alios veritus aliquem in dicta Romana Curia, nec alibi in aliquibus partibus pro huiusmodi manucaptionibus, redemptionibus, satisfactionibus, vel renunciationibus, nec de aliquo alio facto dependente ab eisdem. Et in casu quo tales Provisores, Procuratores, executores, & Notarii non essent inventi, tunc curreret exigentia contra illos per debitum processum, & quod beneficia exirent ad capiendum Corpora sua, in quibuscunque partibus essent inventi, tam ad Sectam dicti Regis, quam ad Sectam Partis, & quod medio tempore dictus Rex haberet commoda, & proficua de talibus Beneficiis sic occupatis per tales Provisores exceptis Abbatibus, Prioratibus, & aliis Domibus, quae haberent Collegia vel Conventus, & in talibus Domibus haberent Conventus sive Collegia commoda, & proventus salvo totis temporibus dicto Regi, & aliis Dominis eorum antiquo jure: & haberet hoc statutum locum tam bene de reservationibus, collationibus, & provisionibus factis, & concessis tempore elapso versus omnes illos, qui adhuc non erant adepti corporalem possessionem beneficiorum eis concessorum per huiusmodi reservationes, collationes, & Provisiones, quam versus omnes alios tempore futuro. Praefatus Ricardus Rex mala temeraria prolapa, & sacrilega suggestionem huiusmodi circumventus in eodem Parlamento per se celebrato de assensu ut asseritur Magnatum Regni sui ultra praemissa ordinavit, & stabilivit licet de facto, quod ordinatio superius enarrata de omnibus Archiepiscopatibus, Episcopatibus & aliis Dignitatibus & Beneficiis electi vis, & aliis Bene-

Sacra vestigalia addita Fisco Regio.

A sacrilegis Regim perito ea suggesta.

Proscripti Sacras dignitates a Pontifice accipientes.

Multa pecunia ipsi imposita.

Beneficiis Ecclesiasticis quibuscunque, quae inceperunt vacare de facto a certo tempore tunc expresse, vel post, vel quae vacarent tempore futuro infra Regnum Angliae in debita executione de tempore in tempus servaretur in omnibus suis punctis, & si aliquis faceret aliquam acceptationem de aliquo beneficio Ecclesiastico in contrarium istius statuti, & esset debite probata, ac esset ille acceptans, in partibus transmarinis, manerent foris facta, & si esset infra Regnum Angliae, esset etiam exulatus, & bannitus prout superius est expressum, & incurreret eandem foris facturam, & arripere iter suum ita quod esset extra Regnum infra sex septimanas talem acceptationem proxime sequentes, & si aliquis reciperet aliquem talem bannitum venientem de Partibus transmarinis vel exeuntem infra Regnum post sex septimanas antedictas sciens inde, esset ille, etiam exulatus, & bannitus, & incurreret talem foris facturam ut superius est expressum, & quod Procuratores, Notarii, Executores, & apparitores sui haberent foris facturam, & poenam antedictam; Et si dictus Riccardus Rex mitteret per Literam, vel per alium modum ad Curiam Romanam ad excitationem alicujus Personae, vel si aliquis alius mitteret dictam Romanam Curiam, vel supplicaret ut contrarium ipsius statuti esset factum, quantum ad aliquem Archiepiscopatum, Episcopatum Dignitatem, vel aliud beneficium Ecclesiasticum infra dictum Regnum, si ipse, qui faceret talem excitationem vel supplicationem, Praelatus foret Ecclesiae Sanctae, solveret dicto Regi valorem terrarum, & possessionum suarum immobilium unius anni, & si esset alia persona de statu inferiori solveret Regi valorem Beneficii, pro quo talis supplicatio facta foret, unius anni, & quod de aliqua Dignitate, vel Beneficio, de quo excitatio plene dicto tempore tunc expresse facta non fuerat nullius ratione alicujus reservationis, Collationis, vel Provisionis, vel alterius gratiae Apostolicae cujuscunque non excitans ante hujusmodi tempus expressum aliquam executionem prosequeretur sub poena in hoc predicto statuto contenta, & quod si aliquis portaret, vel mitteret intra Regnum vel potestatem dicti Riccardi Regis aliquas citationes, sententias, vel excommunicationes adversus aliquam Personam cujuscunque conditionis, motionis, facturae, consensus, seu executionis dicti statuti provisorum, esset ille captus, & arrestatus, & positus in persona, & foris faceret omnes Terras, & tenimenta bona, & Chatalla sua pro perpetuo, & ultra hoc incurreret poenam vite & membrorum, & si aliquis Praelatus faceret executionem de talibus Citationibus sententiarum vel excommunicationibus, essent temporalia sua appretiatia, & remanerent in manibus dicti Regis, quousque debita reformatio, & correctio inde fierent: & si aliqua Persona inferioris status, quam Praelati cujuscunque conditionis foret, talem faceret

executionem, esset illa Persona capta, & arrestata, & posita in persona, & haberet imprisonmentem & faceret finem & redemptionem secundum consilium & discretionem dicti Regis. §. 2. Quanto igitur profundius, quanto crebrius praemissa in mente revolvimus, tanto acerbius dolemus, tanto vehementius admiramur, quod tantus Princeps tam Catholicus Rex, tam secundus orthodoxae fidei zelator, tam praecipuus Sacrosanctae Romanae & universalis Ecclesiae venerator, tam severus laudabilium morum assertor, tanta spectabilium Procerum, & aliarum notabilium Personarum numerositate praefulgidus, tantaque externarum & bonarum rerum affluentia copiosus, ut super eum Dominus largam benedictionem effuderit, viris talibus, si tamen Viri dici mereantur, in quibus ut apparet, refriguit charitas, inepuit Fides, Spes lavavit, Justitia ceteraeque virtutes parvum locum, aut nullum habere videntur, faciles in hoc aures praebuit, & non attentiori gravitate discussit, quid ageret in praemissis; vidisset enim luce meridiana clarius, quod Laicis quamvis Religiosis disponendi de rebus Ecclesiasticis nulla est attributa potestas, quos manet subsequendi necessitas non auctoritas imperandi, a quibus etiam si quid statuatur, quod Ecclesiarum respiciat commodum vel favorem, nullius firmitatis existit, & talium, & in talibus constitutio a Sanctis Patribus destitutio, vel destructio, necnon usurpatio Jurisdictionis non sua: veneranda approbatione censetur. §. 3. Tacemus de penis, & Censuris gravibus quas statuentes ordinantes, & ut talia statuta fiant consulentes, vel secundum ea judicantes seu etiam hujusmodi statutorum Scriptores contra ecclesiasticam libertatem, & maxime Romanae Ecclesiae incurrunt eo ipso. §. 4. Et licet tam Sacris Canonibus, quam etiam civilibus, & authenticis Legibus bonisque moribus suadentibus sint casta, & irrita ipso facto omnia statuta, & consuetudines inductae contra libertates Ecclesiarum earumque personas, & quamquam praefatum Riccardum Regem utpote filium ejusdem Romanae Ecclesiae merito diligendum plenius complectamur affectibus caritatis, suumque honorem nec minus animae salutem, suique status, & incliti Regni prosperitatem singularibus desideriis affectemus, & ad id adhibuerimus simulque dispositi adhibere cum omni effectu quantum cum Deo possumus partes nostras; ne tamen sua hujusmodi & Avi, ac Abavi praefatorum statuta, mentes incautas, vel male edificatas plus equo offendant, vel apud eas vindicent sibi locum, & ne vulnus, quod hac in parte ratio sanat, passio sensualitatis instauraret, matura super hoc deliberatione praehabita tam antiquioris Edvardi, & subsequenter Edvardi, quam etiam Riccardi Regum praedictorum ordinationa seu stabilimenta, aut statuta hujusmodi superius recitata, quae alias haberi volumus praesentibus pro sufficienter expressis & specificatis, utpote notorie contra libertatem

Obiecta etiam supplicia.

Non spectat ad Laicos facerem reum administrationis.

Haec suadentes quas poenas incurrerint, exponit Bonifacius.

Haec itaque iniquas leges rescindit.

Eorum prohibitas usus.

Iuste e publicis legum codicibus eradi.

Defini antithemate Sacrorum inavores.

Classulz.

Dat. die 4. Februarii 1391. An. II.

tatem Ecclesiasticam, & Romanam Ecclesiam, editam, & omnia, & singula ab eis, & ob ea secuta auctoritate Apostolica de Fratrum nostrorum consilio tenore praesentium declaramus fuisse, & esse casta, & irrita, ipsaque ex superabundanti castamus, irritamus, & viribus vacuumus, ac nullius esse decernimus roboris, efficaciae, vel momenti, & ab illorum observatione in omnibus suis clausulis omnes, & singulas tam Ecclesiasticas, quam seculares Personas cujuscunque conditionis dignitatis, status fuisse, & esse liberas, & absolutas, ac liberamus, & absolvimus per praesentes. §. 5. Prohibemus quoque sub poenis ab eisdem Canonibus, & Legibus in similibus casibus inflictis, ne quis de cetero statuta praedicta, vel similia servare, aut innovare, vel secundum ea Judicare, aut eis uti in iudicio, vel extra directe, vel indirecte publice, vel occulte quouo modo praesumat. §. 6. Mandamus insuper sub eisdem poenis hujusmodi statuta de omnibus libris, Quaternionibus, Capitalibus, & registris publicis, & privatis, in quibus descripta forent, infra duorum mensium spatium a publicatione praesentium proxime computandum, cancellari, cassari, tolli, & penitus aboleri. §. 7. Monemus etiam auctoritate praedicta omnes, & singulos, qui praetextu ordinationum seu stabilimentorum, aut statutorum hujusmodi aliqua beneficia Ecclesiastica seu Canonica, & Praebendas sive Dignitates Personatus vel officia cum Cura, vel sine Cura Secularia, aut Regularia quocunque nomine nuncupentur, occupassent, & detinerent quomodolibet occupata cujuscunque status, gradus ordinis praeminentie vel conditionis existant etiam Pontificali, vel alia quavis praesulgeant Dignitate, eisque in virtute Sanctae obedientiae & sub excommunicationis, & privationis omnium Beneficiorum ecclesiasticorum, quae obtinent, & inabilitationis ad illa, & alia imposterum obtinenda poenis, quas si contrafecerint eos incurere volumus ipso facto, districte praecipiendo mandamus, quatenus infra terminum duorum mensium praedictorum Beneficia, Canonica, & Praebendas, dignitates, Personatus, & officia hujusmodi, quae ut praemittitur occupant, vacua, libera, & expedita realiter, & omnino dimittant, & nihilominus de fructibus male perceptis Ecclesiis, aut locis, a quibus illos perceperunt, seu Personis illis quibus alias legitime debeantur, non differant satisfactionem debitam exhibere. §. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum declarationis cassationis irritationis vacationis constitutionis prohibitionis, monitionis, voluntatis, & mandati infringere &c. Datum & Actum Romae apud Sanctum Petrum secundo Nonas Februarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

IV.

Erectio Studii generalis in Civitate Ferrariae, Status Ecclesiastici. Bonifacius Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. IN summae dignitatis Apostolicae speculatione constituti, ad universas regiones fidelium nostrae vigilantiae creditas, earumque profectus, & commoda, tamquam universalis gregis Domini pastor, commissam nobis speculationis aciem, quantum nobis ex altro permissum, extendentes, fidelibus ipsis, ad quaerendum literarum studia, per quae divini nominis suaeque fidei Catholicae cultus protenditur, justitia colitur, tam publica quam privata res geritur utiliter, omniisque prosperitas humanae conditionis augetur, libenter favores gratiosos impendimus, & opportuna commoditatis auxilia liberaliter impartimur. §. 1. Cum itaque, sicut nuper pro parte dilectorum filiorum nobilis Alberti Marchionis Ethenis, nostri in nostra Civitate Ferrariensi pro nobis, & Romana Ecclesia, Generalis Vicarii, & Communis Civitatis ejusdem, fuit nobis expositum, quod ipsi Marchio, & commune, non solum ad utilitatem, & prosperitatem hujusmodi republicae, ac Incolarum praedictae Civitatis, & districtus ejusdem, sed etiam aliarum partium vicinarum laudabiliter intendentes, in eadem Civitate, loco utique ad hoc accommodo admodum, & idoneo desiderant plurimum vigere Studium auctoritate Apostolica generale, in qualibet facultate licita, ut ibidem fides ipsa dilatetur, erudiantur simplices, aequitas fervetur, iudicii crescat ratio, & intellectus hujusmodi augeantur. §. 2. Nos praemissa, & etiam eximiam devotionem, & fidei puritatem, quas ipsi Marchio, & commune ad nos, & Romanam Ecclesiam gerere dignoscuntur, attente considerantes, & quod illas ad eandem Ecclesiam matrem cunctorum fidelium; & magistrum, eo amplius debeant augmentare, quo per nos, & Sedem Apostolicam se prospexerint gratis, & privilegiis Apostolicis specialius honorari, ferventi desiderio appetimus, quod Civitas ipsa, quam divina bonitas, Cleri, & populi numerositate abundanter, ac tot gratiarum dotibus insignavit, & aliorum multiplicium bonorum fecunditate dotavit, locique amantate non modica decoravit, ac districtus & partes praedictae scientiarum muneribus amplius, ut viros producant consilii maturitate perspicuos, virtutum redimitos ornatibus, ac diversarum facultatum dogmatibus eruditos, sitque ibi scientiarum fons irriguus, de cuius plenitudine hauriant universi literarum cupientes imbui documentis. §. 3. His igitur omnibus, & praesertim idoneitate dictae Civitatis, quae ad multiplicanda doctrinae semina, & germina salutaria producenda valde congrua & accommodata fore dicitur, ac victualium fertilitate, hospitiorum insignium multitudine, aliisque commoditatibus quamplurimis, quas Civitas ipsa ibidem opportunas habere dignoscitur, & quod

Procurium.

Causa hujus institutionis studii.

Ferraria locus ad studia accommodatus.